

**De strychnii in neurosibus vi atque usu : dissertatio inauguralis
medico-therapeutica ... / auctor Ant. Felix Groebenschuetz.**

Contributors

Groebenschuetz, Johann Anton Felix.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1833.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gkxn4xna>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

F 16.
DE

STRYCHNII IN NEURO- SIBUS VI ATQUE USU.

ADNEXIS MORBI HISTORIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-THERAPEUTICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE V. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

ANT. FELIX GROEBENSCHUETZ
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. KANNENBERG, MED. ET CHIR. DR.
E. WILLMANN, MED. ET CHIR. DD.
O. KLATTEN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS,

STREYCHNI IN NUTRO
SIBUS VI ATQUE USU.

ADDEXIS NOBIS HISTORIIS.

Y. L. L.

JOHANNES W. L. L.

INACIARIS MERO O. L. L. L.

GLASSCOE

CONSEY-ET AL. L. L. L.

GLASSCOE MEDICINAE L. L. L.

REVERENDISSIMO L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

FRIDERICUS A. L. L. L.

V I R O

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

GENEROSISSIMO

JOAN. DE WIEBEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGORUM
MAGISTRORUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS
BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, REGI BORUSSIAE A
CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS ET ARCHIATRO, SECTIO-
NIS PRO SANITATE PUBLICA TUENDA IN SUMMO MA-
GISTRATU RERUM CIVILIUM MEMBRO, SEMINARII REGII
MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACA-
DEMIAE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS DI-
RECTORI, COLLEGI BEROLINENSIS REM PAUPERUM CU-
RANTIS MEMBRO, AQUILAE RUBRAE CUM ASTRO IN
CLASSE SECUNDA, ET ORDINIS CRUCIS FERREAE IN
CLASSE SECUNDA, NEC NON ORDINIS AUSTR. CORONAE
FERREAE EQUITI, LEGIONIS HONORARIAE REGIS FRANCO-
GALLIAE DECURIONI, ORDINIS RUTHENICI ST. ANNAE
IN CLASSE SECUNDA, ST. VOLODIMIRI IN CLASSE QUARTA,
BAVARICI, WUERTEMBERGENSIS ET HOLLANDICI EQUITI,
COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI
ETC. ETC. ETC.

FAUTORI SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

P. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Inter remedia, cum interne, tum inprimis secundum methodum endermaticam adhibita recentissimis temporibus potissimum Strychnium in debellandis neurosis ac paralysibus a medicis, ut **Lesieur, Lember, Shortt, Liston, Guthrie, Sandras, Lueders, Bardsley** magnopere laudatum atque commendatum est. Illi celeberrimi auctores, de Nucis vomicae et Strychnii effectu praestantissimis in animalia et homines experimentis a **Magendie (1)** **Orfila (2)**, **Delille, Desportes, Andral** institutis edocti, certiores indicationes hujus remedii adhibendi constituere potuerunt. Strychnium non solum in paralysibus a medullae spinalis affectione exortis, sed etiam in localibus morbis paralyticis, rheumatismum, toxicationem saturninam, exanthemata suppressa secutis, multum praestabat. Saepe numero secundum illorum virorum observationes

(1) **Magendie**. Vorschriften zur Bereitung und Anwendung einiger neuen Arzneimittel.

(2) **Orfila**. Allgemeine Toxicologie mit Zusätzen von **Hermstaedt**. B. 1818.

aliae aegrotantium affectiones, utpote plethora cum proclivitate ad apoplexiam sanguineam, nimius erethismus, impediabant, quominus Strychnium interne adhiberetur, in quibus complicationibus methodus hujus remedii per cutem applicandi valde exoptata et accommodata fuit.

Cum mihi in nosocomio Caritatis Berolinensi medici inferioris muneribus fungenti oblata fuisset occasio, plures casus observandi, in quibus Strychnium maxima cum utilitate externe adhibitum est, consilium cepi, ut ea, quae ab illis celeberrimis medicis de Strychnii in neurosis curandis effectu atque applicandi methodo observata erant, cum meis observationibus compararem.

Hic vero gratum meum contra benignissimum fautorem animum testandi locus esse videtur, neque possum, quin viro experientissimo atque doctissimo *Grimm*, nosocomii Caritatis medico superiori pro summa humanitate, qua me in observationibus meis suppeditavit, gratias agam, data enim plures Strychnio curandos videndi venia, et quod plurimum et potissimum valet, communicatis mecum nonnullis ab ipso institutis observationibus opinionibusque ex iis producendis.

Accipias L. B., opusculum modestum animo benevolo, indulgeas tironi, si minus apte hoc illud tractata sint et vale!

§. 1.

Nuces vomicae, quarum basis alkalina et principium agens Strychnium est, semina sunt arboris, recentioribus demum temporibus cognitae, et ad speciem Strychnum Nucem vomicam (1) adnumerantur. Praeter nucem vomicam species: Faba St. Ignatii, Strychnos colubrina, Indorum venena, Ticunas, Woorara, Upas antjar, Upas tieuté Strychnium quoque continent; patria harum plantarum India, Ceylano, Cochinchina, Malabria nominatur. Varias generis Strychni species adnumerandae sunt, secundum Linnaeum classi pentandriae monogyniae, secundum Jussieu Apocynaeis. Decandolle, Link alique familiam propriam Strychnaceas formant.

(1) De botanicis comp. Fr. Gottlieb Hayne: getreue Darstellung und Beschreibung der in der Arzneikunde gebräuchlichen Gewächse. Berl. 1805. Vol. 1. p. 67. Tab. 37.— A. Richard botanique médicale. Paris 1823. Tom. 1. p. 323.

Strychnium, basis alkalina, primum a **Pelletier et Caventou** (1) anno 1818 e nuce vomica et faba **St. Ignatii**, deinde e **Strychno colubrina**, denique e veneno **Javanensi Upas tieuté**, extricatum est. Alia cognomina sunt, honori **Vauquelin**, **Vauqueline**, et **Tetaine** a **Magendie** ita nominatum, quia majoribus dosibus tetanum provocat. Illi viri praeter alias materias, utpote materiam narcoticam injucundi odoris, saccharum, mucum, materiam amaram extractivam, resinam amaram, calcariam malicam acidulam, ceram, materiam fibrinam, invenerunt in his plantis acidum proprium cum illa materia alkalina connuptum, acidum enim **Igasuricum**, et mox deinde alteram basin alkalinam: **Brucinium**. Cum nobis propositum sit, potissimum de **Strychnii**, ejusque salium in morbis paralyticis vi et effectu accuratius et luculentius disserere, brevibus solummodo attributa physica et chemica (2) tractare volumus.

(1) **Pelletier et Caventou**: Mémoire sur un nouvel Alkali végétal, trouvé dans la fève de **St. Ignace** et la noix vomique etc. — Annales de chimie et de physique, Paris 1819. Tom. X. p. 142.

(2) Ueber die Bereitungsart des **Strychnins** und dessen Salze vergleiche: **Schubarth's** Lehrbuch der theoretisch. Chemie. Berlin 1829. p. 739.

Pritzkow: de nuce vomica Dissert. inaugural. Berol. 1831. p. 11.

Hartung. De **Alcaroideis**. Dissert. inaugural. Berol. 1827. p. 54.

Strychnium in crystallos redactum format prismata quadrilatera, parva, alba, aciformia, sine odore, sed sapore amarissimo, quae difficillime solvuntur in aqua frigida, cum indigeant circiter partibus 7000 aquae frigidae, fervidaeque partibus 2500 ad solutionem. Aethere puro nullatenus, oleis autem aethereis facile solvuntur, et acido nitrico temperatae colorem helvolum induunt. Cum acidis Strychnium ad formanda salia, ut Strychnium carbonicum, sulphuricum, muriaticum, phosphoricum, nitricum, aceticum, sese conjungit. Inter salia supra nominata potissimum Strychnium nitricum et aceticum, cum solubilia sint, et ad usum internum, et praecipue ad methodum endermaticam commendantur. Strychnium nitricum format crystallos tenues, splendentes, aciformes, facile in aqua fervida, sed non in alcohole et aethere solubiles.

§. 2.

Quamquam, contendente Magendie, cujus sententiam multi, ut Orfila, Home, Cramer, Richter alique secuti sunt, Strychnium in sanguinis circulationem venire oporteat, antequam effectus in systema nervosum appareat, novissima experimenta per Wepfer, Hubbard, Murray, Deformon instituta, atque signa, quae observantur, Strychnio majoribus dosibus in usum vocato, do-

cuerunt, Strychnium nervorum spinalium, gangliorumque abdominalium systema potissimum primario modo aggredi. Effectus enim Strychnio adhibito tam cito succedunt, ut neque ventriculi viribus dissolvi, partesque efficaces per vasa resorbentia circulationi sanguinis admisceri, neque per hunc cum tenuissimis nervorum ramulis et papillis in contactum transferri possint. Eo celerius ac fortius in organismum Strychnium agere, si immediate per injectiones in circulum sanguinis transferatur, luculenter emanat; cum in hac applicandi ratione nihil alieni, nihil succorum assimilationi inservientium eidem admisceatur.

§. 3.

De Strychnii effectibus, auctore Vogt (1), tres discerni possunt gradus. In primo gradu alteratio ac mutatio quaedam tantummodo apparet gangliorum systematis; ejusdemque alienata receptivitas et spastica exaltatio ad normam rediguntur, dum nobiliores systematis nervosi partes, ut cerebellum, medulla spinalis a remedio non jam tactae sunt. Una cum hac gangliorum alteratione quaedam secretionum et excretionum organorum abdominalium, utpote hepatis, lienis, renum, tubi intestinalis conjuncta est mutatio, quam major assimilandi

(1) Vogt's Pharmakodynamik. Tom. I. p. 134.

vis, appetitus, actio cutanea adaucta insequuntur, quia Strychnium, minoribus dosibus porrectum, simili modo, quo extracta amara, in organismum agit.

Alius sistitur in secundo gradu effectus. Systema spinale et cerebellum simul afficiuntur, ita ut gravitas, debilitasque artuum una cum animi tristitia, magna incitabilitate sensuum intrent, praesertim cum validiora incitamenta externa influant. Sequuntur haec: artuum tremor, anxietas, interdum convulsiones in modum ictuum electricorum tactu adauctae, respiratio et pulsus frequentes, sero vero debiliores et rariores. Duodecim vel quatuordecim enim horas posthac secretiones atque excretiones copiosiores exoriuntur, quibuscum conjunctus est pruritus molestus, cutisque ardor, saepe etiam exanthema pustulosum, sudaminibus comparandum.

Tertio denique gradu, si maximae doses adhibitae sunt, tetani symptomata intrant, principio majores remissiones praebentia, serius autem adaucta revertuntur; asphyxia et musculorum respirationi inservientium paralysi respirationem penitus tollunt, ita ut mors scenam claudat.

§. 4.

Ex his, quae adhuc dicta sunt facile elucebit, Strychnium effectu suo praecipue in systema nervorum trunci, cerebro integro, agere; ita quidem, ut

minores doses gangliorum, majores spinale systema moveant, unde vim ejus in omnibus morbis nervosis, qui et ab intemperie et incitatione spastica systematis gangliorum, et ab immutata sensibilitate et suppressa movendi facultate medullae spinalis originem ducant, efficacissimam et specificam fore suspicaturi simus. Minor ejus in iis morbis nervosis virtus laudatur, quorum fons ex ipso cerebro oritur, quamquam et hic, secundum novissima experimenta, et ut ipse usu endermatico in pluribus affectionibus expertus sum, nervorum vires oppressas ex parte certo reintegravit.

§. 5.

Si Strychnium aut Strychnium nitricum secundum methodum endermaticam adhibitum est, judicante Lembercio (1) duo effectus, localis scilicet atque consecutivus seu universalis observantur. Etenim si in partem cutis ab epidermide denudatam Strychnium aut Strychnium nitricum (cujus usus propter faciliorem ejus solubilitatem et ob leviolem per vasa cutanea resorptionem praeferendus) adhibetur, haud diu post ardor et pruritus in vulnere artificiali oriuntur; regio affinis

(1) Lembercio, Essai sur la méthode endermique. Paris 1826. p. 28.

rubescit inflammaturque, et ab ipsa parte aegrotus auctum caloris sensum, ex intestinorum cavo, quod vesicatorio est proximum, exordientem, et super totum corpus secundum majores nervorum et vasorum ramos propagatum animadvertit. Post plures, seu tres, seu quatuor horas universalis apparet systematis nervosi effectus, incitati nempe per remedium, cujus partibus resorptis cum nervorum ramulis tenuissimis in contactum vocatis vis nervorum minuta recreatur, et praesertim hujus in musculos propagatio augetur. Manifestatur haec actio convulsionibus, ictibusque, qui e periphericis nervorum finibus orsi saepius usque ad articulationem proximam, sicuti in ictibus electricis, interdum quoque usque ad ipsam medullam spinalem promoven-
 ventur; plerumque noctu inter somnum intrans, calore partis Strychnio infectae adaucto, sudoribus quoque localibus nimis obortis. Cerebri functionum nulla turbatio, neque vertigo, neque lipothymia inter haec observantur; sanguinis vero circulatio accelerata, pulsus pleniores, paullulum tensi, totius corporis calor auctus. Perdurat hic aegroti status quatuor, interdum quinque, immo decem horas, succedente per aliquot tempus artuum quadam rigiditate atque inflexibilitate. Insequentibus diebus ulceris artificialis valida suppuratio.

§. 6.

Instituta nunc Strychnii interne adhibiti cum effectu externe per cutem appliciti comparatione, illud nobis observatum erit, effectus in genere eodem esse; tantummodo post internam applicationem actio a partibus centralibus systematis nervosi oriri, et ad partes periphericas produci, dum applicatio per cutem rem vice versa ostendat. Omnes enim aegroti, qui remedium nostrum interne sumebant, vehementes conquessi sunt convulsiones ictusque a medulla spinali a pectoris, abdominis cavo exorsos, et ad extremitates extensos; contra post methodum endermaticam actiones fere semper a partibus externis cum sensu ardoris, formicationis, ictuum demum electricorum ad internas proficiscebantur. Si haec remedii nostri vim interpretandi ratio, rudior et a meris experimentis tantum, sed minus doctrina et consiliis nisa displiceat, tum humaniter delibendum esse censeo, quam difficile sit, e phaenomenis, quae tantum a relationibus aegrotantium ipsorum, Strychnio curatorum, utut in publico nosocomii fieri solet, rusticano magis quam urbano ingenio praedictorum, petuntur, certum absolutumque iudicium proferri.

§. 7.

Disquirenti porro, quibus Strychnii per cu-

tem usus commodis nos impertiat, haec fere emolumenta in animum ducenda erunt: primum dicenda est in hisce casibus applicatio ejus laudatissima, ubi interne porrigi nequeat, ut sunt, si prominent in aegrotis plethora, apoplexia sanguinea, intestinorum sordes, vasorum erethismus etc. Altera, quae tribuenda est ei laus, majorem nostram remedii regendi atque temperandi facultatem respicit, quam usus internus nobis praestare potest. Licet enim, simulac anxia et damnosa symptomata applicitum remedium sequuntur, celeriores opem afferri, dum aut pulverem inspersum ex ulcere artificiali remorturi, aut si pulvis jam resorptus esset, optimum, quod prostat Strychnii antidotum, Morpium scilicet aceticum, in ipsum affectum locum ingesturi sumus. Huc quoque illa utilitas spectat, quod, si Strychnium externe adhibemus, certiore quodammodo manu doses augere possimus, quam apud internum usum remedii tam vehementissimi, de cujus effectu, sequelisque in totum organismum semper adhuc obcaecati sumus, nobis licebit. Neque hac nostra adhibendi ratione ita timendum est, ne Strychnium organorum assimilationis vi in nocivum modum dissolvatur. Inter praestantissimos autem effectus, quibus usus externus pollet, ille maxime celebrandus, quod hic celerius in ipsum quod morbo affectum est, organon agere possumus.

§ 8.

Hisce variis methodi endermaticae virtutibus perspectis, enucleare nobis brevibus liceat, quibus viis modisque in instituenda hac methodo uti doceamur, et qualis inter omnes in diversis casibus praestantior eligenda foret. Plures enim laudantur methodi, quibus utuntur, qui Strychnium in cutem ab epidermide nudatam applicare soliti sunt. Simplicissimum et rei aptissimum erit, sicuti **Lembert** et **Lesieur** commendant, vesicantium opem petere. Ubi vero cutis mollior, laesionibus facile excitanda, si ipsi homines nimio erethismo praediti sunt, tum forte locus erit, leniora et tardiora pharmaca adhibendi, uti sunt cortex **Mezerei**, serum bombicinum vesicans **Gallorum** etc. Si post applicitum vesicatorium vesica in cute orta est, emplastrum cantharidum statim removendum curetur, ut excitatio, quae seu major seu minor intratura est, vitetur.

Ut citius scopum nostrum assequamur, **Lesieur** proponit, gossypium acido sulphurico imbutum in applicationis loco comburendum esse. Eidem fini inserviunt vulnus scalpello illatum, aqua fervida, liquor **Ammonii caustici** etc. Semper tamen praestabit, vesicatorio uti, quodque idem plurimis aegrotis optime conducit. Ipsius vero **Strychnii** adhibendi forma pulveris est, cui sacchari paululum addi potest. Quo minore in copia saccha-

rum pulverisatum conjungitur, eo minus Strychnium involvitur, et eandem ob causam facilius effectum suum praebere potest. Aptissimum erit, si Strychnii gr. $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{2}$, 1 gr. — 2 gr. cum duobus aut quatuor sacchari granis miscemus. In pulverem redactum, tunc integrum, nec ullo modo decompositum cum nervorum cutaneorum papillis in contactum venit. Ubi mollissima et facile laedenda adest cutis, secundum *Lesieur* Strychnium ceratum molli involutum adhiberi, aut linteolum vulneri imponi et postea pulverem conspergi oportet, tamque diu continuari, donec aegroto remedium conducat. Aliam viam *Lembert* sequitur. Incisa enim vesicula, cutis ab ea non penitus removenda, sed incisio tantum minor instituenda est, per quam Strychnium in vesiculam inducatur. Hac enim ratione remedium celerius fortiusque cutaneis vasis resorberi contendit, quia, vesicula remota, ostiola pressione aëris atmosphaerici comprimuntur. Quamquam huic opinioni non multum invertere possumus, tamen non omnino probanda est, quia si vesicula remanet, Strychnium in latiore superficiem applicari nequit, quod vero fieri necesse est, ut effectus sufficiens insequatur: praeterea etiam multum secum incommodi ferat. De eligendo ad applicandum Strychnium loco *Lembert* et *Lesieur* eas regiones commendant, ubi cutis tenuissima est, et ubi plurimum transpirat, scilicet extremitatum latera interna.

Sed ubi in malis late dominantibus sicuti in paraplegiis et hemiplegiis applicatio adhibetur, praestabit vesicatorium medullam spinalem propius et in illo loco poni, ubi aegrotantis partis majores nervorum rami a medulla spinali abeunt. — In paralysibus localibus et in paralysibus singulorum musculorum ponatur vesicatorium in ipso proximo nervorum ramo. Si post applicitum Strychnium vehementior inflammatio in organis vicinis, dolores magni, vehementes convulsiones, rigiditas musculorum oriuntur, tum, donec haec symptomata evanuerint, remedium usus suspendatur, et ubi necessarium videatur, antidotum sumatur, Morphiū aceticum per cutem quoque ingestum, quod statim dolorum et convulsionum remissionem efficiet. Magnitudo formandi fonticuli a gradu et a specie mali dependet, et a copia, qua Strychnium adhibetur, doseum. Ipsa vero, qua usuri sumus, Strychnii nitrici dosis principio medelae gr. $\frac{1}{8}$ aequabit, pedetentim autem ad majores doses: gr. $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{2}$, 1, $1\frac{1}{2}$, 2, 3 gr. adscendamus. Erit autem majoris doseos locus, si anterior porrecta sufficientem effectum non amplius praebet.

§. 9.

Strychnii usus et internus et novissimis temporibus endermaticus in multis speciebus morborum nervosorum, praesertim in diversis generibus para-

lyseos factus est. Etsi, contendente Sandras (1), Strychnium in hisce tributas ei laudes non meretur, immo saepius damnosam sibi formam acquisiverit, hoc inde oritur, quod indicationis ratio nondum satis fixa, nec variarum paralysium species certa atque lucida diagnosi statutae sunt. Itaque nobis in animo est, singulas aegrotantium formas recensere, quibus Strychnium adaptatum, et in quibus usus ejus aut jam factus aut faciendus adhuc sit.

§. 10.

1) Morbi nervosi, qui intemperie abnormi systematis gangliorum consistunt, uti sunt: hysteria, hypochondria, cardialgia, contra quas Strychnium a Schmidtman et Basedow (2) cum aliis antispasmodicis conjunctum valde laudatum est. Per cutem quoque in nosocomio Caritatis in multis aegrotis adhibitum est, sed minorem vim in hisce morbis, quam Morphiū aceticum per cutem sumptum praebuit; Morphiū scilicet systematis nervosi erethismum sedante, Strychnio vero magis alienationem plexus solaris torpidam poscente. Si Strychnium in talibus morbis endermatice applican-

(1) Sandras. Gazette medicale de Paris. Mai 1830. No. 18.

(2) Hufeland's Journal. Bd. 67. St. 1. S. 94.

dum est, tum vesicatorium in regione ventriculi ponendum, ubi plexus solaris ramos suos emittit.

2) Etiam in epilepsia, chorea St. Viti, catalepsia, et nuperrime in morbo quodam spastico, qui inter epilepsiam, catalepsiam et inter choream St. Viti locum habet, et cryptolepsiae nomine insignitur ab Hennemann (1), multo cum successu interne minoribus dosibus (gr. $\frac{1}{2}$ — 1 — 2) adhibitum est. Ita et in nosocomio nostro plures aegroti, qui inveterata epilepsia cruciabantur, Strychnio et endermatice quidem curati sunt. Apud duos aegrotos vesicatorium trium pollicum longitudine et dimidii pollicis latitudine juxta processus spinosos vertebrarum lumbarium applicabatur et Strychnii gr. $\frac{1}{4}$ quotidie inspergebatur, quae dosis serius ad dimidium et ad totum granum adscendit. In altero aegroto remedii effectus nullus, alter convulsiones et ictus a medulla spinali prodeuntes sentiebat; quum vero post quatuor septimanas, quibus durantibus remedium adhibitum erat, accessiones epilepticae eodem gradu, ut antea, incederent, non diutius Strychnium adhibebatur. — Quamquam in hisce casibus curae eventus non faustus visus est, tamen inde contra veram medicaminis efficaciam in his morbis certi nihil inverti potest, quoniam epilepsia,

(1) Hennemann, mecklenburg. Beiträge für Mediz. u. Chirurg. B, 1. St. 2. S. 123.

cujus causae saepenumero adhuc densissimis tenebris obteguntur, in his casibus a medulla spinali forte non dependebat.

§. 11.

3) In morbis paralyticis. Praecipuam medicatricem vim in paraplegiis praestitit, quibuscum vesicae urinariae et intestini recti paralysis conjuncta fuit, quippe in hac specie paralyseos nervorum motoriorum facultas in musculos pelvis, organorum in pelve sitorum, extremitatum inferiorum maxima ex parte aut sublata aut suppressa sit. Hic bono cum successu nuperrime inter alios a **Bardsley** (1), **Bailly** (2), **Lafaye** (3) interne adhibebatur. **Bardsley**, qui in pluribus quam viginti casibus paralyticis, et paraplegiae et hemiplegiae, **Strychnio** interne usus, (quod ob majorem suam efficaciam **Extr. nucum vomicarum** praeferibat), quatuordecim aegrotos prorsus sanavit, caeterosque in meliorem

(1) **Bardsley**. Hosp. facts. and observ. illustrative of the efficacy of the new remedies **Strychnia**, **Brucia**, by **James Lom. Bardsley**.

Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch praktischer Aerzte. 39 B. 3 St. Leipzig 1832.

(2) *Revue médicale*. 1827.

(3) **Lafaye**. *Journ. de méd. de Bourdeaux*.
Froriep, *Notizen*, B. 27, Nr. 14, S. 224.
Journ. génér. des sciences méd. Août, 1829.

statum redactos e cura demisit. Lafaye praeter omnia hujus remedii laudes celebrat contra vesicae, praecipue detrusoris paralysin. Omnes auctores, quorum mentio supra facta est, Strychnium in his praesertim casibus adhiberi volunt, ubi paraplegia aut hemiplegia a medullae spinalis affectione, commotione mechanica orta, dependeant, aut ubi in insultu apoplectico potissimum alterum medullae tantum latus affectum sit. Quamquam ab his viris Strychnium purum interne tantum, aucta sensim dosi, a gr. $\frac{1}{4}$ usque ad unum ter quaterve per diem adhibebatur, tamen etiam Strychnium nitricum per cutem applicitum hic multum proficit. Si paraplegia altum gradum adscenderit, quod paralysi organorum imi abdominis manifestatur, tum praesertim, si nihil aliud usum ejus vetat, Strychnium interne adhibendum est, ut hoc modo medulla spinalis rectissima via moveatur. In morbis pertinacioribus internus usus cum endermatico jungi potest, quorum connectionem prosperrimum eventum impertinacissima paraplegia, cujus historiam postea relaturus sum, habuisse observavi. Minorem successum Strychnium in hemiplegiis ab apoplexia cerebri exortis praebet; immo hanc sententiam capessere possimus, si ex illis, quae auctores de hujus remedii efficacia pronunciant, theoretice concludimus, in his casibus Strychnium nihil prorsus efficere posse. Revera in hisce casibus secundum

recentissimas experientias internus usus minorem successum habet quam endermaticus, qui nonnullis in casibus, restituta jam cerebri functione, in paralyisin, quæ localis tantum et in proprios limites coërcita remauserat, tam bonum effectum habuit, ut artus affecti usus maxima ex parte restitueretur. In paraplegia, ubi paralysis vesicae urinariae et intestini recti adest, vesicatorium in osse sacro ponatur; si extremitates inferiores malo afficiuntur, et sublata jam organorum supra nominatorum paralyisi, tum eam regionem eligamus, ubi nervus ischiadicus sub glutaeis in posteriori femoris latere, aut ubi nervus cruralis sub ligamento Poupardii procedit. In hemiplegia emplastrum cantharidum altius poni oportet, aut in humero, prope claviculam, ubi plexus brachialis nervis cervicalibus componitur, aut in ipsis colli vertebrais.

§. 12.

4) In paralyisibus topicis, rheumatismo, venenationibus saturninis, ex suppressis exanthematibus productis. In hisce morbis Strychnium nitricum endermatice adhibitum secundum omnes auctores peculiarem vim specificam praebuit. Idcirco Trinius (1) refert, Strychnium

(1) Trinius vermischte Petersburger Abhandlungen aus d. Geb. d. Heilkd. B. 6. 1830. Nr. 13.

in paralysibus dynamicis paulum praestere, sed in paralysibus a materia damnosa, seu rheumatica seu arthritica ortis magnam medicatricem vim secum ferre. Si in paralysibus rheumaticis respicimus materiam suppressa cutis secretionem peculiariter formatam, Scoram nempe, quae in his paralysibus, rheumatismum secutis, qui non tam perfecte criticis sudoribus solutus est, in nervos et tunicas nerveas metastatice actiones nervosas in musculos tollere probatur, et porro quoque, si sudores topicos nimios, exanthemaeque endermaticae Strychnii applicationem sequens perpendimus: in illam opinionem perducere nos oportet, hisce sudoribus, quibus intrantibus minuta paralyseos signa conjunguntur, crisin, a Strychnio adductam, eidem adscribendam esse. Nihilominus Strychnium in hisce casibus recta via in ipsum systema nervosum agere negari non potest, quum hisce sudoribus topicis eadem illae convulsiones et ictus electrici antecedant.

§. 13.

Disquirendi nunc locus est, quonam temporis stadio intrante Strychnium in paralysibus rheumaticis commode adhibendum sit. Curandi hujus morbi methodus efficacissima, quam plurifariam in Caritatis nosocomio observabam, id praecipue spectavit, ut rheumatismus adhuc inflammatorius, dolorificus, vagus venae sectionibus, sanguinis detractio-

nibus localibus, Nitro, Tartaro stibiato, Kali acetico, Ammonio acetico etc. debellaretur, et, symptomatibus inflammatoriis febrilibusque remotis, si quis chronicus fixusque rheumatismus remanserit, alterantia remedia contra hunc in usum vocarentur. Inter haec remedia prae omnibus vinum Colchici majori dosi, ab cochlearis minimi dimidio ter per diem, aucta dosi, usque ad cochlear majus ter quaterve per diem sumptum, potissimum effectum edidit. Exstiterere casus quidam, ubi, cum fixis rheumatismis jam paralyses incessissent, hocce remedio fortissime alterante paralysin simul vincere contigit. At finitis jam omnibus doloribus inflammatoriisque signis e parte paralytica, si paralysis morbus secundarius restat, tum endermaticae methodi, quam supra descripsimus, applicatio instituenda, et ab illa celerius auxilium quam a plurimis aliis remediis expectandum erit. Eadem ratione in paralysibus ex toxicationibus saturninis ortis Strychnio utendum erit. Ita Richter aphoniam rheumatico-paralyticam Strychnio in nervo recurrenti applicito sanavit. Dumeril paralysin rheumaticam palpebrarum superiorum infriktionibus Extr. nuc. vomic. per incisionem in hac regione factam sanatam observavit.

§. 14.

Nuperrime Strychnium externe primum a

Shortt (1), deinde a Liston et Guthrie in amaurosi, sed ubi videndi facultas nondum penitus sublata erat, bono cum successu adhibitum est; in quibus casibus Strychnii efficacia mercurio antea interne sumpto prospere adjuncta erat. In hisce casibus, arbitrante Shortt, Strychnium in ipsam substantiam nerveam et in systema capillare agit, qua de re in illis amaurosibus indicatum est, quae a paralyysi nervi optici aut retinae dependent, neque non in quibusdam casibus amaurosis congestivae, quae e pressis aut nervo optico, aut retina ortae sunt, et quibuscum repletio inertiaeque minimorum vasorum neurilematis conjungitur. In amaurosibus a mutationibus organicis ortis, et quae vehementes ophthalmias internas sequuntur, ab hoc remedio cavendum. Applicationis locum regionem temporalem indicat Shortt, in qua a Strychnii gr. $\frac{1}{4}$ incipiens sensim ad gr. $3\frac{1}{2}$ in utrumque tempus applicati ascendit.

§. 15.

Jam prius nux vomica et Strychnium prospero cum eventu in dyssenteria, et in Cholera asiatica, si in postremis stadiis paralytica nervo-

(1) Dr. Th. Shortt in Edingburgh medical and surgical Journal. Oct. 1830.

v. Gräfe u. v. Walther Journal. B. 15. St. 2. S. 334.

rum abdominalium affectio intraverit, interne porrecta sunt. Ab endermatica in hisce morbis applicatione ob vehementiam horum morborum nihil forte exspectari potest. Et in febribus intermittentibus prioribus temporibus saepius quam nunc et interne et externe sumebatur. Nuperrime vero Lüders (1) Strychnium aceticum interne in febre vulneraria intermittente, cujus origo varia esse potest, commendavit. Nam si hic morbus mere nervosus incedit, extravasatione, putredine, phlebitide non praesentibus, sed nervoso-spastica indoles, sanguinis magna jactura, aut nervorum incitatio, distriktionibus aut vulnerationibus nervorum orta, accusandae sunt; quum in talibus febribus intermittentibus perniciosus medulla quoque spinalis affecta appareat, Strychnium etiam in hisce morbis aliquid effecturum esse probatur. Sed nulla adhuc hujus remedii in hisce casibus adhibiti mentio facta est.

Sic in Tetano traumatico chronico Lüders (1) Extr. nuc. vomic. cum felici successu porrexit. Praecipue Strychnium aceticum in tetano traumatico laudat, si magis nervosa quam inflammatoria indole est. Conjuncta cum eo inflamma-

(1) Lüders. über das intermittirende Wundfieber. Hamb. 1831.

(2) Hufeland Journal, B. 68. St. 4. S. 3.

tione, tum forte curam phlogisticam antecedentem Strychnii acetici per cutem applicatio in columna vertebrali secuta multum effectura est.

RELATIONES QUAEDAM USUM STRYCHNII EXPLICANTES.

Observatio I.

1) Carolus Schneider, operarius, triginta novem annos natus, constitutione valida, habitu sano, plethorico, temperamenti sanguineo-cholericum, firma semper fere gavisus est valetudine. Proximo anno in nosodochio Caritatis a paralyti musculorum nu-
chae, capitis vulnus secuta, adhibitis mōis liberatus et sanatus ex eo dimissus est. Extremo eodem anno a scala descendens sanguinis orgasmo, vertigine, animi deliquio ita afficiebatur, ut, virium non compos, plures gradus ab ea delaberetur, et in lipothymia a vicinis inveniretur. Medicus accersitus, venaesectione valida instituta, aegrotum ita restituit, ut cerebri functiones et loquela redintegrarentur. Sed extremitatis utriusque inferioris et brachii sinistri mobilitas defuerunt, quamquam partes paralyticae tactum sentiebant; dextrum tantum brachium moveri potuit. Secundo Mens. Januarii die in nosocomium receptus, omnia paraplegiae incompletae sed late extensae signa adfuerunt, ita ut suspicari potuerimus, etsi vertigo illa apoplexiam indicaverit,

tamen commotionem medullae spinalis accitam esse, quam paraplegia secuta sit. Caeterum quum pulsus pleni, tensi, duriusculi, satis frequentes exaltationem systematis sanguinei praesentem adhuc testarentur, aegroto mixtura nitrosa porrecta est. — Mox et ischuria, ut serius innotuit, a paralyti musculi detrusoris orta intravit, quapropter plures hebdomades catheterem ingeri oportebat. — Statu erethico systematis sanguinei, et complicatione gastrica febrili salibus antiphlogisticis, emeticis, hirudinibus, quarum applicationem dolores in vesicae urinariae regione pungentes indicavere, sublatis, contra paralytin accepit aegrotus noster:

℞. Infus. Flor. Arnic. (℥ji) ℥vi.

Liquor. Ammon. succin. ℥ji.

Solut. Liquirit. ℥jii

M. D. S. Omni bihorio cochlear majus.

Praeterea alternis diebus balnea tepida, infractiones ex linimento ammoniaco - camphorato cum Tinct. Cantharid. in extremitatibus et in vesicae regione instituenda praescripta sunt.

Quamquam his remediis detrusoris paralytis post tres septimanas sublata fuit, extremitates, Arnica, Liquore Ammonii succin., Tinct. Capsici annui per quinque hebdomades interne sumptis, eodem paralytis gradu afficiebantur, quapropter Die XXIV. Februarii Strychnii nitrici gr. $\frac{1}{4}$ vesicatorio

circa sinistrae manus articulationem applicito semel per diem inspergebatur.

Post Strychnii applicationem aegrotus vehementi manus ardore, ictibus electricis secundum nervi ulnaris decursum usque ad plicam cubiti extensis cruciabatur. Insequenti posthac intumescencia manus inflammatoria Strychnii usus per aliquot tempus impeditus est. Tumore inflammatorio resoluta, antibrachium antea prorsus immobile aliquantulum tolli, digitique flecti, sed non extendi potuerunt. Ut fortius in ipsam medullam spinalem, paraplegiae focum, ageretur, accepit aeger ad usum internum:

℞. Extr. Nuc. vomic. gr. i
 Sacchari pulverisati gr. x.
 M. f. Pulv.
 Dispens. tal. Dos. No. VIII.
 S. ter per diem pulv. sumend.

Remedio hocce assumpto, nocte jam insequenti convulsionibus vehementibus, ictibusque a medulla spinali exortis, et ad partes sinistri lateris progredientibus e somno expergefactus est aegrotus.

Caeterum universalis aegroti conditio eo jam tempore multo melior fuit. Sine molestiis urinae excretio procedebat; assimilatio et somnus valida erant. Alvus, quae facile obstruebatur, Magnesia sulphurica in Infuso Arnicae soluta laxa reddebatur. Interne sumebat aegrotus noster ter per diem pul-

verem e Extr. nuc. vomic. gr. $i\beta$ cum Sacchari gr. X. compositum, quae nucis vomicae dosis, si necessarium videbatur, dimidio grano augebatur. Praeterea alternis diebus balneum tepidum accepit, ac diebus intermediis duodecim cucurbitulae siccae cum sanguinolentis alternantes in regione sacrali applicabantur. Ulceri artificiali in brachio sinistro quotidie semel Strychnii nitric. gr. $\frac{1}{2}$ inspergebatur. Hac tractandi methodo, quae totum Aprilem perdurabat, Schneider tres aut sex ictus a medulla spinali ad extremitates inferiores proficiscentes per diem sentiebat. Exeunte mense Aprili in sella sedere, atque sinistrum femur satis facile flectere potuit aegrotus. Dextrae quidem manus flexorum digitorum movendi vis multo fortior adhuc erat, quam illa extensorum.

Majus. Incipiente mense Majo balnea tepida, applicatio cucurbitularum, usus Arnicae, Magnesia etc. omissa sunt. Interne solummodo Extr. Nuc. vomic. gr. $ii\beta$ ter per diem sumebat.

Movendi facultate brachii sinistri Strychnio nitrico in hoc applicito fere prorsus restituta, vesicatorium in eo femoris dextri loco, ubi nervus cruralis sub ligamento Poupartii procedit, positum, quotidieque Strych. nitric. gr. i. in ulcus artificiale inspersum est. Quamquam ictus electrici semper rariores intravere, movendi facultas musculorum extremitatum in diem validior facta est. Incipiente

Majo aegrotus a duobus hominibus sustentatus extremitates ingrediendo adaptare, medio mense fulcris innixus ingredi potuit.

Junius. Omnes motus aegrotus noster liberius ac validius perficere potest. In femore dextro adhuc debiliori semel per diem Strych. nitric. gr. i. inspergitur. Ad debellandam flexoris digiti medii sinistri paralysin eo loco, ubi tendo digiti medii a flexore digitorum communi decedit, vesicatorium applicatum et Strychnii nitrici gr. i. inspersum est. Eodem modo in dextro quoque brachio Strychnium in extensoris communis tendine applicabatur, ut extensorum movendi vis augeretur; ita ut quotidie Strychnii nitrici grana tria per cutem, et Extracti nucis vomic. gr. tria et dimidium interne sumerentur. Hac dosi fortiori per octo dies sine damno adhibita, nono die convulsiones vehementissimae, tremor artuum, cephalaea, vertigo etc. intraverunt, quam ob rem alternis diebus solummodo in dextro femore et in sinistro antibrachio Strych. gr. i. applicabatur.

Julius. Hujus mensis initio conditio aegroti nostri in totum eadem est.

Quamquam in hoc morbi casu perfecta sanatio nondum intravit, eadem ab hac medendi ratione continuata mox exspectari licet. Statum aegroti meliorem factum potissimum ab usu Strychnii et interno et externo dependere, quamquam caeteris quoque

remediis, ut cucurbitulis, balneis, etc. aliquid tribuendum sit, e morbi relatione facile elucebit.

O b s e r v a t i o II.

Joannes Winkelmann, triginta octo annos natus, pictor, hemiplegia totius lateris sinistri ex insultu apoplexiae sanguineae procreata correptus, die XXVII Maji in nosocomium Caritatis receptus est. Cum in receptione pulsus adhuc tardi, satis pleni, tensi, facies rubicunda, sensorium nondum liberum essent, venaesectio librae unius instituta, atque salia antiphlogistica et laxantia porrecta sunt. Brachium lateris affecti laxum neque ullo modo mobile, sensibilitas vero ejusdem non sublata fuit. Fortius ac liberius femur sinistrum moveri potuit, sicuti paralysis linguae atque oris sinistri minoris fuit momenti. Methodo antiphlogistica, deinde per alvum derivatoria usque ad diem XXII Junii continuata, Strychnium nitricum, cum nulla vasorum incitatio adfuisset, in usum est vocatum. Vesicatorium applicatum est in humero super plexum brachialem atque in cutem denudatam, vitatis omnibus aliis remediis antiparalyticis, gr. $\frac{1}{4}$ Strych. nitric. immittebatur. Infusum tantum Sennae compositum adhibuitur ad alvum ciendam. Primis diebus, quibus remedium applicabatur, nullus effectus apparuit. Cum autem die XXIX Junii gr. $\frac{1}{2}$ Strych. nitric. inspergeretur, vehementissimo pedis ardore,

formicatione, convulsionibus, contractionibus a pedis digitis incipientibus et usque ad genu articulum propagatis correptus est aegrotus. Sequentibus quoque diebus Strychnium applicitum illa effectus signa usque ad femur et brachium lateris affecti extensa secuta sunt; mox tanta cum vehementia intrarunt, ut aegrotus sursum e lectulo jactaretur. Apparente profuso sudore topico in latere sinistro illa symptomata remiserunt; rigidi et post primas Strychnii applicationes inflexibiles artus, sudore illo quasi critico relaxabantur atque mobiliores fiebant. Remedium nostrum laudatissimum in hac hemiplegia tanta praestitit, ut aegrotus, qui ante Strychnium per cutem assumptum nullo modo ingredi potuerat, die IX Julii, baculo innixus me in domicilio meo visitare posset. Brachium in plica cubiti facile, sed paulisper tantum in humeri articulo flecti potuit, quocirca, cum postremis diebus efficacia Strychnii minus luculenta fuisset, gr. i. nunc inspergebatur. Medicatricem suam vim in posterum quoque edidit remedium; mox enim digiti, antea pungum formantes, et flecti et extendi, ut lubebat, potuerunt.

Die X Julii. Aegrotus noster aequo et hilari animo in hortis nosodochii sine molestiis ambulat, atque est sperandum fore, ut perfecta brachii quoque paralytici sanatio mox intret.

O b s e r v a t i o III.

M. B. puella, octodecim annos nata, tenera, valde sensibili constitutione, temperamento sanguineo, habitu scrophuloso praedita, cujus menstruatio, eaque parca atque irregularis septimo decimo demum vitae anno intravit, mense Januario anni 1830 post vehementem saltationem sese exposuit refrigerationi, quam rheumatismus acutus valde dolorificus totius lateris dextri secutus est. Tribus septimanis praeterlapsis febris, urina sudoribusque antecedentibus, evanuit; dolores vero per tres menses insequentes, quibus durantibus aegrota variis ac diversis remediis antirheumaticis curabatur, eadem cum vehementia perdurabant. Cum aegrota die XXIII Aprilis in medelam nostram reciperetur, habitum prope cachecticum, faciem pallidam, collapsam prae se tulit; praecipue extremitates lateris dextri perfecta paralysi affectae emaciatæ apparebant. Assimilatio valde depravata, somnus inquietus; omninoque conditio aegrotæ talis erat, ut nullo modo cura antirheumatica institui posset; sed potius id spectandum erat, ut vires aegrotæ sustentarentur. Leviora nervina, cum Anodynis conjuncta, deinde Quassia, acida mineralia, China, Vinum, balnea tepida semel per hebdomadem adhibita erant remedia, quibus aegrota per tres menses insequentes in eum valetudinis gradum restituta est, ut me-

dio mense Junio paralyseos rheumaticae sanandae causa ad aquas medicatas Nenndorfianas proficisci posset. Die III Septembris a Nenndorf redux facta aegrota a nobis prorsus mutata inventa est. Corpus enim erat bene nutritum, facies plena, color faciei alacris, intuitus hilaris.

Quamquam dolores rheumatici penitus evanuerant, paralysis extremitatum in eodem gradu vigebat, quapropter Strychnium nitricum secundum methodum endermaticam in usum vocatum est. In ulcus artificiale super plexum brachialem in humero formatum die V Septembris gr. $\frac{1}{8}$ Strych. nitric. inspersa est. Horam dimidiam post applicitum remedium convulsiones, ictusque a vesicatorio ad nucham et ad fines extremitatum migrantes sentiebantur. Die VIII Septembris gr. $\frac{1}{4}$ Strychnii adhibita formicatio in digitis valida, vehementes dolores et contractiones pedis dextri cum profuso totius lateris sudore conjuncta manifesta fiebant. Die decimo movendi facultas extremitatum insigni modo adaucta fuit.

Die XI. Post applicationem Strych. gr. $\frac{1}{2}$ eadem symptomata observata sunt.

Die XIV. Exanthema vesiculosum in toto latere paralytico erupit, cui sudor valde profusus antecesserat.

Die XV. Strychnii gr. $\frac{3}{4}$ inspergebatur, quae dosis usque ad perfectam aegrotae sanationem,

quae, nullo alio quam Strychnio remedio adhibito, incipiente mense Octobri intravit, continuabatur. Nullus morbus recidivus usque ad Majum hujus anni apparuit. Memoratu dignum adhuc est, menstruationem, quae vigente rheumatismo plane recesserat, inter Strychnii usum sponte rediisse et exinde regularem decursum absolvisse.

Observatio IV.

Adolphus Kressin, pictor, viginti quatuor annos natus die XXXI Martii anni MDCCCXXXIII in nosocomium Caritatis, colica saturnina laborans receptus est. Huic colicae, oleo Ricini, Opio, Camphora caeterisque contra hunc morbum gloriatis remediis prorsus remotae, morbus secundarius, paralysis nempe completa manus dextrae extensorum, praecipue paralysis extensoris pollicis longi successit. Ad hancce paralysin tollendam alternis diebus balneum ex hepate sulphuris paratum atque ad usum internum:

Rec. Inf. flor. Arnic. (3ij) ʒvj)

Tinct. Colocynthid. gtts. xv.

M. D. S. omni bihorio cochlear majus.

praescripta sunt. Cum vero die XXV Maji, his remediis adhibitis, paralysis prope nullo modo mutata esset, omnibus aliis remediis sepositis, in loco circiter pollicem unum ab articulo manus remoto vesicatorium positum atque cuti ab epidermide denu-

datae Strych. gr. $\frac{1}{4}$ inspersa est. Diebus duodecim insequentibus prope nullus Strychnii effectus in lucem prodiit, quare balnea illa adhuc adhibebantur. Cum vero die VIII Junii formicatio, convulsiones, ictus electrici, sudor topicus in partibus paralyticis et una cum his major movendae manus facultas intrarent, balneis illis omissis, vesicatorio aliquantulum in antibrachio altius applicito Strych. gr. $\frac{1}{2}$ immittebatur. Die XXVI Junii dosis Strych. inspersi adaequavit gr. unum, et die XXX $\frac{5}{4}$ gr. inspergebatur. Cum postremis diebus effectus remedii minor fuisset, die III Julii ulcus artificiale articulationi manus rursus propius formatum est. Mox deinde effectus valde exoptatus, sanatio scilicet perfecta evasit, nam omnes motus manu digitisque satis valide atque facile perfici potuerunt.

V I T A.

Ego Joannes Antonius Felix Groebenschütz, evangelicae confessioni addictus, Berolini anno MDCCCX natus sum, parentibus optimis, dilectissimis, patre J. Groebenschütz et matre Amalia e gente Seileriana, quos divina gratia etiam nunc superstites pio gratoque animo veneror. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium petii Berolinense, cui tunc temporis celeberrimus praefuit Bellermand, ibique per annos tres

et dimidium studia humaniora exercui. **Maturitatis** testimonio instructus et anno **MDCCCXXXVIII** instituti medico-chirurgici **Friderici-Guilelmi** civium numero adscriptus virorum illustrissimorum et celeberrimorum et praelectionibus et exercitationibus clinicis per quadriennium interfui.

Ill. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia, **Ill. Link** de historia naturali, botanice et de toxicologia, **Ill. Hermbstaedt** de chemia pharmaceutica, **Ill. Turte** de physice, chemia et pharmacia, **Cel. Eck** de physiologia, **Beat. Knape** de osteologia, splachnologia, **Ill. Schlemm** de syndesmologia, **Beat. Rudolphi** de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, et foetus humani, de entozois et de physiologia, **Ill. Osann** de materia medica et de fontibus medicatis, **Ill. Hufeland jun.** de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali, **Ill. Horn** de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis, **Cel. Casper** de arte formulas medicas concinnandi, et medicina forensi, **Ill. Kluge** de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, eaque fascias rite applicandi, nec non de akiurgia, **Cel. Dieffenbach** de herniis, **Ill. Rust** de chirurgia universa disserentes audivi. In arte cadavera rite dissecandi **Beat. Knape** et **Beat. Rudolphi** mihi duces erant. Praeterea **Celsi** de medicina libros: **Cel. Hecker** mihi interpretatus est. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, atque obstetriciis virorum **Ill. Ill. Hufeland**, **Osann**, **Busse**, **Wolff**, **Bartels**, de **Graefe**, **Jüngken**, **Kluge** et **Rust** interfui. Quos omnes praeceptores clarissimos et doctissimos pio gratoque animo semper venerabor.

Quibus studiis peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio **Caritatis Berolinensi** per decem menses functus sum atque adhuc fungor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica Berolinensi peractis, spero fore ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Morbi oculi singulares non existunt.*
 2. *Arthritis in sexu sequiori potissimum a vitiiis menstruorum dependet.*
 3. *Haemoptysis symptoma solum, non morbus.*
 4. *Blennorrhoea nulla nisi ex inflammatione.*
 5. *Opium remediis antiphlogisticis adnumerandum est.*
-